

I. N. D. N. 7. C.

DISPUTATIO THEOLOGICA

In qua sistitur,

HOMINIS

RATIO

HOSTIS DEI,

Ex Dicto APOSTOLI

Coloss. I. 21.

*Et vos aliquando abalienatos, & hostes
Ratione, in operibus malis.*

QUAM

DOMINO ADJUVANTE

PRÆSIDE

ISAACO FAUSTIO,

S. THEOLOG. D. ET PP. ORD. ET

ECCLESIASTE

SOLENNITER Defendet

JOHANNES PETRUS STRIGELIUS,

Creilshemio-Francus.

Ad diem Novembr. An. M. DC. LXVIII.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS PASTORII.

M. Joh. Gideon Gellius. A-1728.

oll. diss. A
65, 58

Hf. A. 165 (58)

3.8

*Magnificis, Plurimum Reverendis, Amplissi-
mis, atque Excellentissimis*

V I R I S,

ILLUSTRISSIMI,

Quod ONOLDI est,

CONSISTORII EC-
CLESIASTICI

DN. PRÆSIDI, Cæterisque
DNN. ASSESSORIBUS.

Ut &

*Admodum Reverendo, Amplissimo atque
Præcellentissimo,*

DN. M. JOHANNI GERETIO, Reverendi
Capituli Creilsheimensis DECANO, & Ecclesiæ Cathedra-
lis ibidem Concionatori meritissimo.

Nec non

Prudentissimo atque Consultissimo

DN. JOHANNI PHILIPPO HORNUNGIO,
Civitatis Patriæ Consuli Gravissimo.

DOMINIS

*Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus, Everge-
tis, Fautoribus, atq; Cognatis, tum devotò, tum prolixò
animi Cultu devenerandis*

*Exercitium hoc Theologicum, eâ, quâ par est, humillimâ
pietate, submissâ reverentiâ, devotaque mente in
sui suorumque studiorum Commendationem, &
grati animi indicium, D. D. D.*

RESPONDENS.



COLOSS. I. vers. 21.

Καὶ ὑμεῖς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθρὰς τῇ διανοίᾳ ἐν
τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς

VULG. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici
sensu, in operibus malis.

VATABL. Et vos, qui quondam eratis abalienati, &
inimici mente & in operibus malis.

§. I.



Ravis est & inexplicabilis, hominum, *Rationis cor-
mentisque*, quam praestantissimam naturæ suæ *ruptio*.
partem habent, per peccatum invec̄ta, cor-
ruptio. Corrupta illa est pravitate profun-
dissima, neque tamen ipsa corruptionem su-
am agnoscit, vel capit. Eo tristior est ho-
minis lapsi conditio. Quid enim in homi-
ne sanum, cujus & ratio ipsa, atque mens, adversus Deum, Dei-
que verbum, insanit? Et pia mens, fidem, qua illustrata & reno-
vata est, exercens, nihil periculosius & pejus ipsa ratione sentit.
Agnoscentia igitur pravitas illa est, & fide vincenda. Nam qui
negant, vel non agnoscunt, vel etiam incauti indulgent, ij vel
fidem omnem amittunt, vel sinceram eam, puramque, retinere
non possunt.

§. 2. Præmittamus quædam, quia notatu digna, & gravi-
ter concepta sunt, ex B. Lutheri Comm. in Galat. t. 4. Jen. ad *D. Luthe-
rus, de judi-
cio Rationis.*
e. III. v. 6. p. m. 73. fides ita dicit: Ego credo tibi Deo loquenti. Quid
loquitur Deus? Impossibilia, mendacia, stulta, infirma, absurda, abo-
minanda, hæretica, & diabolica, si rationem consulas, &c. Sic sem-
per Deus, cum obiicit Articulos Fidei, simpliciter impossibilia & ab-
surda, si iudicium rationis sequi voles, obiicit. Certè ridiculum &
absurdum videtur rationi, in Cœna nobis exhiberi corpus & sangui-
nem Christi, Baptismum esse lavacrum regenerationis ac renovationis
Spiritus Sancti, Mortuos resurgere in extremo die, Christum Filium Dei
concipi, gestari in alvo virginis, nasci, pati mortem indignissimam cru-

*fides ratio-
nem mactat*

*cus, resuscitari, sedere nunc ad dextram Patris, & habere potestatem in
cælo & in terra. Hinc Paulus Evangelium de Christo crucifixo vocat
verbum Crucis & stultitiam prædicationis, quam Judæi scandalosam,
Gentes stultam doctrinam judicent &c. Itaque ratio non intelligit,
audire verbum Dei & credere, summum cultum esse, sed ea quæ ipsa eli-
git & facit, bona, ut vocant, intentione & propria devotione, sentit Deo
placere &c. Contra FIDES RATIONEM MACTAT, & occidit illam
BESTIAM, quam totus mundus & omnes creature occidere non possunt.
Et p. 74. per hoc sacrificium mactant (pii) rationem, HOSTEM DEI
OMNIUM MAXIMUM ET INVICTISSIMUM &c. Contra, Operarij
carentes Fide &c. RATIONEM, ATROCISIMUM DEI HOSTEM,
non mactant, sed vivificant &c. Contra nos exclusis omnibus operibus,
rem gerimus cum capitibus hujus bestię, quæ vocatur Ratio, quæ est
FONS FONTIUM OMNIUM MALORUM, quia ratio non timet, non
diligit Deum, non confidit Deo, sed securè contemnit eum, neque minis
neque promissionibus ejus movetur, non delectatur ipsius verbis & factis,
sed contra Deum murmurat, irascitur ei, judicat & odit Deum, in sum-
ma, INIMICA est DEI Rom. 8. non tribuens ei gloriam. Hac PESTE
(ratione) occisa &c. Ita satis graviter, atque uti conveniebat
& ipsi, VIRO DEI, & materiæ, quam tractabat, de Justificatio-
ne fidei, locutus est Lutherus.*

*Corruptionis
origo.*

*F. C. de Pecc.
Orig.*

§. 3. Sed quæ tam pestilentis adversus Deum inimiciæ,
tamq; horribilis Corruptionis, origo? Talem certe DEUS bonus
hominem non condidit, summis & præstantissimis viribus suis
creatori repugnantem. Lapsum igitur secuta est, & per pecca-
tum in mundum, in homines omnes, introducta. Et quia For-
mula Concordiæ, symbolicus liber, Peccatum originale ab hac
vel maxime parte describit, eam audiemus. Sic illa pag. 640.
quod Peccatum originale in humana natura non tantummodo sit e-
jusmodi totalis carentia seu defectus omnium bonorum in rebus spiritua-
libus ad Deum pertinentibus: sed quod sit etiam, loco imaginis Dei amis-
se in homine, intima, pessima, profundissima, instar cujusdam ABYSSI,
inscrutabilis & ineffabilis corruptio totius nature, & omnium virium,
IN PRIMIS vero superiorum & principalium animæ facultatum,
in MENTE, INTELLECTU, corde, & voluntate &c. ita, ut omnes na-
tura, talia corda, tales sensus & cogitationes ab Adamo, hereditaria
& na-

& naturali propagatione consequamur, quæ secundum SVMMAS suas VIRES, & IVXTA LVMEN RATIONIS, naturaliter E DIAMETRO cum DEO & summis ipsius mandatis pugnent, atque inimicitia sint adversus Deum, præsertim quantum ad res divinas & spirituales attinet. Itaque per peccatum originale, ipsa etiam mens & ratio hominis, tam profunda pravitate corrupta est, ut, res divinas, non tantum non capiat, neque capere possit, sed etiam tanquam stultitiam reiiciat, adeoque Deo, ipsiusque verbo, è diametro repugnet; atq; etiam, non tantum inimicitiam exercent adversus Deum, verum & ipsa inimicitia dici mereatur. Phrales, sententiæque è Form. C. citatæ, eam emphasin habent, ut addendum nihil sit.

§. 4. Patet hinc ratio propositi nostri. Constituimus enim de *inimicitia rationis adversus Deum* aliquid meditari idq; secundum ductum propositi oraculi. Eo fine de *Inimicitia*, ex Luthero §. 2. & de *Inimicitia origine*, ex F. C. §. 3. præmisimus. Partiemur tractationem in *Partes DVAS*. PRIOR habebit ipsius dicti *explicationem*: POSTERIOR, explicati dicti ad *usus necessarios applicationem*. Deus & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, per spiritum verbumque suum, nos illuminet & regat, ut corruptionem nostram agnoscamus, spiritu adversus carnis mentem pugnemus, & rationem fide mactemus, utque in debitæ gratitudinis hostiam, nos totos DEO & SALVATORI nostro subjiciamus. Amé.

Partitio.

PARS PRIOR Dicti ipsius Explicatio.

§. 5.

SEQUEMUR, ut expeditior sit explicatio, ipsius dicti ordinem. Ait I. Apostolus: καὶ ὑμᾶς & vos. Ubi difficultatis nihil occurrit, neque querendus est in scirpo nodus. Manifesta est doctrinæ, quam Apostolus tractavit, ad Colossenses *applicatio*, & vehementius afficit, ad Auditores facta, generalis doctrinæ *applicatio*. Neque sufficit *in genere* de peccato nostro, Gratiæque Dei peccatoribus data, dixisse, sed & in rem præsentem deduci debemus, ut agnoscamus peccatum nostrum, miseriamque nostram, atque ut Gratiæ Dei, quæ nobis data est, majore in dies

I.
Objectum,
καὶ ὑμᾶς
& vos.
Apostolus
applicat.

A 3

& de-

& devotione & fervore celebremus. Etiam Colossenses, ad considerationem prioris sui status revocati, ex illius consideratione, *universalem* omnium hominum corruptionem, discere poterant. Ita & generalis doctrinae veritas, *applicatione* ad nos *exemplo confirmat* facta, & *exemplo* nostro declarata, fortius nobis confirmatur. Theodoretus scripsit: *ἐπὶ τῶν ὑμετέρων σκοπίσατε τὰ κοινὰ, ex vestris expendite communia.* Ita & nos, sentientes carnis adversus Spiritum pugnam, mentisque carnis adversus Deum inimicitiam, agnoscimus, quàm profunda & horribilis sit, quæ per peccatum invecata est, corruptio, quantaque miseria nostra futura fuisset, vel futura esset, si spiritu carentes, & verbo Dei destituti, nostræ rationi relictis fuisset, vel relinqueremur. Excitatur etiam ad *vigilantiam*, ut fortiter adversus carnem, ejusque mentem pugnemus, ut Spiritus, ut fides semper dominetur, regnetque. Non enim res hæc ludicra vellevis est. Et miserrime vanissima est persuasio sapientum carnis, in speciosis suæ rationis inventis sibi blandientium, & summa sibi promittentium. Ita Apostolus doctrinam generalem ad Colossenses *applicavit*, & in facta applicatione, proprio ipsorummet *exemplo*, in eorum animis *confirmavit*, & facta hac confirmatione *excitavit*, & attentiores fecit, ad vitandam omnem rationis, mentisque carnis, speciosam, sed inanem sapientiam, atque ad Christum unice audiendum & amplectendum.

II. §. 6. Ait II. Apostolus *ποτε aliquando.* Neque hic aliqua difficultas est. Excitat Colossenses ad considerationem status miserrimi, in quo fuere ante conversionem. Et in animis piorum hic acutus stimulus est, meminisse, in qua miseria fueris? quæ DEi gratia te inde liberaverit? Ita & c. 3. Coloss. v. 7. *In quibus etiam vos ambulavistis ποτε aliquando, ὅτε quando vivebatis in illis.* Opposuerat v. 6. *filios incredulitatis* ipsis credentibus. In Epistola ad Ephesios scripta, quæ cum hac ad Colossenses, phrasibus, sententiis, rebus, profus convenit, sæpius ea particula utitur, ut discamus, non utilem tantum, sed & valde necessariam esse, atque adeo sæpe urgendam, prioris status nostri considerationem. Eph. II, 2. *in quibus ποτε aliquando ambulastis secundum seculum mundi hujus &c. vers. 3. In quibus & nos omnes conversati*

II. *Objecti Status, ποτε, aliquando. Miserrimam status prioris in memoriam revocat Apostolus.*

versati sumus ποτε aliquando &c. vers. 11. Quapropter memento
 quod vos ποτε quondam Gentes in carne &c. & vers. 13. Nunc autem in
 Christo Iesu vos qui ποτε aliquando eratis longe, facti estis prope &c.
 Et V, 8. Eratis enim ποτε aliquando tenebrae, nunc autem lux in Do-
 mino. Tit. III, 3. eramus enim ποτε aliquando & nos insipientes, in-
 creduli, errantes &c. Atque ut illud ποτε aliquando, fortius im-
 primeret, sic expressit Ephes. II, 12. eratis εν τῷ χρόνῳ ἐνεῖνῳ in
 tempore illo absque Christo &c. Sic in utraque, ad Ephesios, &
 ad Colossenses, scripta Epistola, illud ποτε aliquando, occurrit, *in illo tem-*
 uti & applicatio illa ad Auditores, de qua §. 5. & in applicatione *por-*
 facta personarum permutatio, ut omnium eadem conditio fuisse, o-
 mnibus eadem gratia obtigisse, significaretur. Confer Coloss. I,
 12. 13. 14. 21. 22. II, 10. 11. 12. 13. 14. Ephes. II, 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 10.
 11. 13. 14. 18. &c.

§. 7. Vidimus ita §. 5. de Quibus loquatur Apostolus, sc. III.
 de Colossensibus, & §. 6. de Quo eorum Statu, scil. peccati, & ante *Status Qua-*
 conversionem. Sequitur 3. Qualis ergo fuere Colossenses, in eo, *litas abalie-*
 ante conversionem, statu? Ait Apostolus: ὄντας ἀπώτοιμένους *natos & ini-*
 νῆ ἐχθρῶς τῆς διαβολῆς, existentes ab alienatos & inimicos mente. Hæc *te.*
 enim verba, quia coherent indivulso nexu, jungamus. Vide-
 bimus primo de phrasi ipsa, deinde, de singulis verbis specialius.
 §. 8. Phrasis ipsa primo expendenda est. Sensus enim, ab *Primò. Phra-*
 illa alienus, removendus est, & simplicitas sensus veri certò con- *sis ipsa.*
 stituenda est. Ambiguitatem enim, quam notant Philologi,
 collatio scripturarum, prorsus discutit. Ambiguitatem pro-
 ponit Erasmus in suis Annotationibus, scribens: Inimici sensu)
 ἐχθρῶς τῆς διαβολῆς, id est, inimici mente sive cogitatione. Porro sermo *Erasmus am-*
 Græcis anceps est. Nam dativus τῆς διαβολῆς potest accipi velut instru- *biguitatem*
 mentaliter, hoc est, per sensum sive mentem. Aut relative, Inimici, *exponit.*
 sed cui? nempe menti. Etenim qui carni servit, repugnat RATIONI.
 Ambrosius & Hieronymus διαβολῆς referunt non ad hominem peccantem, *Ambrosiū*
 sed ad Deum, ut accipias Dei mentem, non hominis. Nam prior sic legit: *& Hiero-*
 Et vos quondam alienatos & inimicos consiliorum ejus, in operibus in- *nimum ab-*
 iquis &c. Posterior ad hunc modum, in ep. ad Ioannem Episc. Hieroso- *legat,*
 lym. Cum essetis alienati, & inimici sensus ejus. Quanquam ego sane *& Theo-*
 Hostes malim quam Inimici. Theophylactus, mentes ad Colossenses re- *phyl.*
 fert &c. ut intelligerent se suapte voluntate fuisse hostes. §. 9.

Beza de Le-
ctionis varie-
tate.

Et de expli-
catione E-
rasmi.

Tertullianus

Pamelius.

Ambrosius.

Vox *διὰ*

§. 9. Addendus est Beza, qui cum Ambr. & Hieron. citasset, subjecit: *Legerunt enim τὴν διὰ τοῦ ἀπε, ut scriptum reperit in Claromontano codice: & Tertull. diserte exprimit nomen τὸ κρείσσον sic locum istum interpretans in lib. de resurr. carnis, alienatos & inimicos sensibus Domini, quum in operibus pessimis agebamus. De explicatione vero Erasmi, qua *διὰ τοῦ ἀπε* intelligitur non Dei, sed Colossensium; eaque explicatur non subjectum vel instrumentum inimicitiae & hostilitatis, sed ejus objectum, & Colossenses, servientes carni in operibus malis, dicuntur ab alienati fuisse & hostes, rationi propriae, meliora dictanti, repugnantes; ita judicat: *aliam interpretationem proponit Erasmus &c. sententia Apostoli non modo non expressa, sed etiam prorsus depravata. Statuit enim mentem si verationem carni resistere etiam in non regeneratis, sicut Philosophi in Ethicis disputant περὶ τὸ τῆς ψυχῆς λογικῆ καὶ τὸ ἀλόγου, quum contra Paulus, totaque adeo Scriptura, vix quicquam majore contentione clamet quam in ratione ipsa corruptionem illam nativam potissimum regnare, quae etiam propterea carnis appellatione in primis comprehenditur &c. Itaque hanc interpretationem aperte ut falsam repudio.**

§. 10. Ita quidem Tertull. l. c. cap. 23. p. 412. Docet quidem Apostolus Colossensibus scribens, mortuos fuisse nos aliquando alienatos & inimicos sensus Domini, quum in operibus pessimis agebamus &c. Pamelius Annot. 182. p. 433. hoc variat à vulgata lectione tam Graeca & Syriaca, quam Latina &c. Quod Ambrosius legit: *inimicos consiliorum ejus: adscriptus illi Commentarius sic explicat: Quale donum Dei sit erga gentes memorat, ut ostendat eos debitores, & quidem multum, in gratiarum actionibus Deo: qui cum inimici essent consiliorum ejus, quibus decrevit visitare genus humanum per famulum suum Moysen, cujus doctrinam & potestatem non receperunt, devoti idolis suis, imo operibus iniquis, (adoraverunt enim opera sua quae fecerunt:) misericordia autem, & providentia Dei requisivit eos, ut gratuito Dei gratiam consequerentur, redeuntes ad eum in conscientia munda &c.*

§. 11. Ita vidimus Lectionis, & Expositionis, diversitatem. Sed hanc prorsus tollit scripturarum, & locorum parallelorum, collatio. Excutiamus ergo loca, in quibus vox, *διὰ τοῦ ἀπε*, occurrit. Matth. XXII, 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

et cogit.

o corde tuo, & in tota anima tua, & in tota *δρανοία* mente tua. Marc. XII, 30. ex tota *δρανοίας* mentetua. Luc. I, 51. dispersit superbos *δρανοία* mente cordis sui. Vatabl. cogitatione cordis ipsorum. Et ad marg. Psalm. 33. Dominus dissipat consilia gentium. Luc. X, 27. & ex omni *δρανοίας* mente tua. Et XI, 17. Ipse autem ut vidit cogitationes τῶν *δρανοίματα* eorum &c. Ephel. I, 18. illuminatos oculos τῆς *δρανοίας* cordis vestri. Vatabl. mentis vestrae. Et II, 3. facientes voluntatem carnis & τῶν *δρανοίων* cogitationum. Vat. facientes quæ carni ac menti libebant. Et IV, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum τῆ *δρανοία*. Vat. dum mentem habent obtenebratam &c. Hebr. VIII, 10. dando leges meas in *δράνοιαν* mentem eorum. Et X, 16. ἐπὶ τῶν *δρανοίων* in mentibus eorum superscribam eas. I. Petr. I, 13. succincti lumbos τῆς *δρανοίας* mentis vestrae. 2. Petr. III, 1. vestram excito in commonitione sinceram *δράνοιαν* mentem. I. Johan. V, 20. scimus autem quod Filius Dei venit, & dedit nobis *δράνοιαν* mentem, ut cognoscamus &c.

§. 12. Lux horum locorum omnem caliginem, invec̄tæ in textum ambiguitatis, facile discutit. Itaque *δράνοια* in nostro textu, de sensu Dei, consiliis Dei, accipi non potest. Nam I. in omnibus allegatis locis *δράνοια* mens non ad Deum, sed ad homines, refertur. 2. Apostolus, in Epistola ad Ephesios, quæ cum epistola ad Coloss. prorsus convenit, de hominis mente & ratione, accipit. 3. Vulgata Lectio prævalet. 4. *δράνοια* hæc corrupta & inimica est, ita clare explicante Apostolo, locis allegatis Ephel. II, 3. IV, 18. Et 5. objectum inimicitia hujus, quæ est in prudentia carnis, in desideriis carnis & mentis sive cogitationum, expressit Apostolus Rom. VIII, 7. Deum : ἐχθρὰ εἰς Θεὸν inimicitia in Deum. Expresserat 6. idem jam Apostolus Col. I, 20. & per eum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt. Objectum igitur inimicitia, in v. 21. quærendum non fuit. Et 7. si τῆ *δρανοία* de consiliis Dei, de mente Dei, accipis, admittes vel suppones, vocem hanc principaliter & absolute sic accipi. Id vero adeo non convenit, ut Apostolus, sæpius ea usus, nunquam sic acceperit. Et 8. hanc *δράνοιαν* sequuntur opera mala. Dicimur enim inimici fuisse τῆ *δρανοία* in operibus malis. 9. Interpretes, qui non obi-

De sensu,
consiliis Dei,
accipi non
potest.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

B

ter

ter vel incidenter tantum allegant, sed commentarium in ipsa verba scripserunt, referunt ad *mentem Colossensium*. Theophylactum allegavit Erasmus §. 8. Sic & Chrysoſtomus, ex quo Theophylactus.

Collatio sententia Patrum & Erasmi. §. 13. Haec tamen, si rem ipsam spectes, melius reddiderunt, allegati ab Erasmo & Beza, Patres, si omnino *dativus* τῆς διανοίας *objective* vel *relative* accipiendus est, quàm Erasmus, *objectum* constituens prorsus alienum. Ut hæc ipsa ratio nos cogat, vocem explicare *instrumentaliter*, & non *relative*. Sententia enim illorum Patrum bene habet, sed cum *usu vocis*, & *explicatione Apostolica*, non convenit. Explicatio Erasmi vocem ad hominem refert, sed quia *objective* sive *relative* accipit, absurde & contra perpetuam mentem, sententiamque Apostolicam explicat.

τῆς διανοίας accipi debet instrumentaliter, non relative. Itaque *objectum* inimicitiae non est *ratio hominis*, sed illius potius *primarium subjectum*. Nam 1. ipse Erasmus scripserat: *id est, mente sive cogitatione*. 2. Ambiguitas illa non inventa in phrasi est, sed in eam inducta. Sic Eph. IV, 18. ἐσκοπούμενοι τῆς διανοίας *obtenebrati mente*. Tenebrarum *subjectum* ipsa mens & ratio statuitur. Ita hinc: *inimici τῆς διανοίας mente*. Quæ mens sive ratio *tenebrarum*, eadem *inimicitiae* *subjectum* est. Luci enim, quæ Deus est, inimicæ sunt hæc tenebræ. 3. Rationem explicationis, quam addit Erasmus: *Etenim qui carni servit, repugnat rationi*; funditus subvertit vel unus locus Eph. II, 3. *facientes τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν voluntates, desideria carnis & mentis sive cogitationum*. Conspirant ergo utriusque desideria, non pugnant. Et qui *carni* servit, non repugnat, sed servit *rationi*. 4. Et hæc tamen etiam Beza recte sententiam illam repudiavit, si omnino, quod dubium movit, Erasmus etiam approbavit & defendit. Paraphrasis enim ipsius aliter habet: *Quorum de numero vos quoque estis, qui cum olim sic essetis alienati à Deo, ut simulachra demonum pro illo coleretis, neque solum PROPRIA VOLUNTATE dissideretis ab illo (ita ipse ex Theophylacto §. 8.) verum impiis operibus hostes ageretis, tamen ille nunc vos nec expectantes, nec promerentes reconciliavit sibi, & ex hostibus fecit amicos, ac filios &c.*

Secundò. §. 14. Caligine ambiguitatis dispulsa, nitidius effulget *simplex sententiae veritas*, quæ mentem sive rationem explicat *inimi-*

phrasæos sim- gula Verba.

inimicam Deo & abalienatam à Deo. Jam voces singulas videamus. I. ὄντας existentes. Significat *Statum*, in quo fuere ante conversionem. Tales enim fuerunt, tales extiterunt. Ita Eph. II. 13. οἱ ποτὲ ὄντες qui eratis aliquando longinqui. Rei veritas connotatur, exclusa vana imaginatione vel opinione. *Revera* eratis tales.

§. 15. 2. ἀπλλοτειωμένους abalienatos. A quo? Respectus, qui v. 20. præcedente ab Apost. insinuatus est, evolvitur ab eodem in Epist. ad Ephes. II, 12. eratis in tempore illo sine Christo, alienati à conversatione Israel, (Vatabl. abalienati à republica Israelis) & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Et IV, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei (Vat. abalienati) propter ignorantiam quæ est in illis. Est ergo abalienatio à republica Israelis, à vita Dei. Paucis: abalienatio à Deo, Dei que vita & populo, atque adeo & Christo, testamento, promissione, salute, spe &c. D. Hunnius in Comm. ita evolvit: Eratis tum alieni à Deo, abalienati à Pastore animarum vestrarum, Christo, peregrini à communione Evangelij, extranei à societate Ecclesie, & à patria cœlesti propter incredulitatem extorres. Major hæc miseria est, quam ut ratio nostra eam capere queat. Quid enim homine miserius, qui abalienatus est à Deo, Dei vita & populo? Dicebatur v. 20. pax per Christum restituta inter cœlum & terram. Abalienati à cœlo, abalienati erant ab omnibus & bonis & habitatoribus cœlestibus, Deo, angelis, beatiss, beatitudine. Chrysostr. exaggerat: neque solum simpliciter) dixit: quum inimici esletis (ἐχθραίνοντας) sed etiam alienati (ἀπλλοτειωμένους abalienati) ὁ πολλῆς ἐχθρας ὄντων, quod quidem est magnarum inimicitiarum. Neque solum ἀλλοτειωμένους alienati, ἀλλὰ μηδὲ προσδοκῶντας ἐπαυελθεῖν sed neque expectantes reverti. Theophylactus ita: propterea non dixit inimicos simpliciter, sed abalienatos, hoc est, μηδὲ προσδοκῶμένους ἐπαυελθεῖν, non expectantes reditum. Sic ad exaggerationem inimicitie refertur, ut significetur inimicitia pertinax, & alia ratione irreconciliabilis. Inimici, sed qui reversuri non erant, & qui videbantur etiam non reversuri. Uti Chryf. μηδὲ προσδοκῶντας, Theoph. μηδὲ προσδοκῶμένους. Si vero magis placet ordinem sequi, quem servat A-

postolus, qui primò dicit, *abalienatos*, deinde, *hostes*: significabit sane il' a abalienatio, totalem *aversionem* à Deo, Dei vita & populo. Ut Colossenses dicantur I. *abalienati* fuisse, hoc est, mente averfi à D. o. 2. Inimici, hoc est, etiam adversus Deum mentis inimicitia erecti. Et h' c etiam inimicitiam augere potest. Quo nim major abalienatio, tanto etiam acerbior inimicitia.

3. καὶ ἐχθρὰς ἔ in-
micos.

Erasmus: ho-
stes.

Martinius.

Chrysoft.

Theophyl.

4. τῆ διαβολῆς
mente.

§. 16. Sequitur 3. καὶ ἐχθρὰς ἔ inimicos. Explicat hanc inimicitiam locus Rom. VIII, 7. supra §. 12. n. 5. Est ergo inimicitia *adversus Deum*. Et sicut abalienati dicuntur à *republica Israelis*, à *vita Dei* §. 15. adeoque à Deo, Deique vita, verbo, & populo abalienati; ita & inimici intelliguntur Dei, hostes Dei, verbi, cultus, populi Dei, Deum impugnantes in verbis & operibus suis. Huc pertinet Rom. V, 10. *Si enim ἐχθροὶ ὄντες cum inimicis essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus*. Infelix inimicitia, cujus conatus irritus, eventus tristis. Erasmus §. 8. mavult *Hostes*, quam, *Inimici*. Non repugnamus. Inimicitia odium significat, hostis ex concepto odio rebellis est & repugnat. Et Christus dicitur v. 20. *reconciliasse, & pacem fecisse*. Reconciliatio odia tollit, pax bella. Martinius in voc. *Hostis*, ex Varr. *multa verba aliud nunc ostendunt: aliud ante significabant, ut hostis*. Nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Sane hæc lapsi hominis ἐχθρὸς est, ut odio adversus Deum, Deique verba & opera concepto, etiam *rebellis* factus sit adversus Deum, impugnetque Dei verbum & opera, Deique populum. *Rationem* hujus appellationis, ob quam peccatorum statum his verbis descripsit Apostolus, Chrysoft. assignat hanc: *quoniam meminit eorum, quæ sunt in cælis, ostendit omnes inimicitias hinc non illinc duxisse initium*. Theophyl. sic effert: *hæc autem dicit, quia cælestium memineral, innuens, quod omnis inimicitia ἐκ ἐκ τῶν ἀνω ἀλλ' ἐξ ἡμῶν non ex supernis, verum ex nobis habuerit exordium*. Sane ut Deus omnia bona condidit, ita & in pace, sine hostili adversus se invicem odio, sed in amore mutuo. Inimicitia ergo, & odij, & hostilitatis origo è cælo non est, non in Deo, vel angelis sanctis, sed ex nobis ipsis, in primis parentibus, à diabolo seductis, & cum il-

§. 17. Restat 4. τῆ διαβολῆς mente, sensu, ratione. Pertinet ad

ad

ad mentem, & intellectum, hæc *διάνοια*. Idque etiam ipsius
 vocis vi. Est enim à *νῆς mens*. Simpliciter ergo intelligimus,
 præstantissimam illam in homine, & summam facultatem, vim
 intelligendi, mentem, eamque ut operosam & negotiosam in
 variis cogitationibus, ratiocinationibus, consiliis, inventis, ju-
 diciis, sententiis, opinionibus, superstitionibus, cultibus, deli-
 berationibus, viis &c. Damasc. O. F. l. 2. c. 22. ὅθεν καὶ διάνοια

Damascen.

λέγεται ἀπὸ τῆς διανοεῖν καὶ διακρίνειν, Interpres reddit: unde & Gra-
 ce *Dianoea* à *judicando* dicitur. Billius: ob idque etiam *διάνοια* dicitur
 ἀπὸ τῆς διανοεῖν, I. ab eo quod consideret, ac discernat. Nobis suffi-
 cere poterunt loca supra §. II. ex ipsis scripturis allegata. Atque
 uti *διάνοια* hæc, est hominis corrupti & hostis Dei facti, ita & *νῆς*

νῆς
 frustra in-
 flans

mens, unde est *διάνοια* mentis aliquid considerantis, discernentis,
 judicantis operatio vel vis. Ipse Apostolus Coloss. II, 18. sedu-
 ctiores, contra quos agit, ait, frustra inflatos ἀπὸ τῆς νοῦς τῆς σαρκὸς ἀ-

mente carnis eorum. Ita hæc *mens*, carnis corruptæ, quæ non
 capit ea quæ sunt spiritus, mens est. Hunnius in h. l. i. e. turgi-
 dus ac tumidus opinione scientiæ, similiter acumine & perspicacitate
 mentis, quod præter & supra scientiam ac doctrinam Apostolorum quid
 sapiat altius & sublimius. Namque ad hanc mentem carnis perti-
 net *Philosophia*, inanis seductio & deceptio v. 8. hoc est, speciosa do-
 ctрина hominum, quæ speciem habet σοφίας scientiæ v. 23. revera
 autem scientia non est, quia extra Christum, sine Christo sapit,

Hunnius.

v. 8. Huic menti vanitatem tribuit Apostolus, & vanitatis da-
 mnat, quicquid illa ex se invenit & excogitat. Ephes. IV, 17.
 gentes ambulant ἐν ματαιότητι τῆς νοῦς αὐτῶν in vanitate mentis suæ.
 Talis *νῆς* est hominum non regeneratorum, vana, & hac ipsa vani-
 tate frustra inflans.

νῆς mens
 vana

§. 18. Ad mentem ergo hæc *διάνοια* referenda est. Unde *διάνοια* ad
 & Apostolus loco allegato, Ephes. IV, cum v. 17. dixisset, gentes
 ambulare in vanitate τῆς νοῦς mentis suæ, statim subjecit v. 18. ἐσκοπι-
 σμένοι τῆς διανοίας obtenebratam habentes mentem, vel mentis cogita-
 tionem. Ita *διάνοια* est τῆς νοῦς quasi quædam filia, vel vis, vel ope-
 ratio, mens in judicando, considerando, inveniando &c. occu-
 pata. Calvin. in Comm. Paulus nihil illi (menti νοῦ) reliquum fa-
 cit præter vanitatem. Quasi vero parum expresse locutus foret filiam

Calvin.

ejus *δίαβολον* nihilo meliore titulo insignit &c. quemadmodum Paulus homines nihil videre prius asseruit, ita nunc addit, ratiocinando cæcos esse, etiam in summis rebus. Eant nunc homines, & libero arbitrio superbiant, cujus moderatricem tanta ignominia notari audiunt. Theophyl. interpretatur: τῆ διαβολῆ, τὸ τέστι τῆ θεωρίας *sensu, sive mente, hoc est, voluntate ac proposito.* Sed patet ipsam primo mentem & rationem notari, quæ intelligit, cogitat, ratiocinatur, judicat, &c. Res vero ipsa illam *θεωρίαν* electionem, & propositum, involvit & connotat. Namque inimici dicuntur Colossenses fuisse mente in operibus malis. At hæc etiam ex *θεωρίαι* proposito voluntatis. Ergo inter mentem judicantem & ratiocinantem, quæ vi vocis τῆ διαβολῆ significatur, & opera illa mala, ex inimicitia mentis emanantia, locum habuit *θεωρίαι* voluntatis corruptæ malum propositum. Sed nos intra ipsius vocis vim subsistimus.

Theophyl.
explicat τῆ
θεωρίαι

Locutionis
Apost. em-
phasis.
Corruptio-
nis exagge-
ratio.

§. 19. Hinc patet *emphasis* locutionis Apostolicæ, & *exaggerata* per eam, summa hominis peccatoris pravitas & corruptio. Inimicitia enim illa adversus Deum ipsa etiam mente generitur. Et corruptio hæc est, quod mens, ratio hominis non regenti, omni sua vi, cogitatione, ratiocinatione, tantum bellum gerat adversus Deum; atque uti ipsa mens ab alienata à Deo est, ita sua cogitatione, operatione, inventione, tantum Deo repugnet, & adversus Deum militet, & pugnet. D. Huñ. Comm. ut *extremam* illorum corruptionem eis ante oculos statuatur, exprimit animæ humanæ facultatem præstantissimam, τὴν διαβολῆ, quàm à Deo averfam, eique palam inimicam fuisse pronunciat &c. Et Loc. Com. 3. in h. l. Monemur hinc, quid de humani arbitrii libertate statuendum sit. Videmus enim id etiam, quod in homine suis viribus relicto, censetur optimum & præstantissimum, esse Deo inimicum, mentem videlicet. &c. Si ergo mens, quæ cæterarum facultatū gubernatrix, & in homine quasi lux est, dicitur esse inimica Deo, adeo ut non modo nihil capiat eorum quæ sunt Spiritus. 1. Cor. 2. sed in super adversus cognitionem Dei hostiliter se extollat, 2. Cor. 10. Quid de cæteris ignobilioribus animæ potentiis extra regenerationis gratiam erit sentiendum? Et ut Christus argumentatur: SI LUX TENEBRÆ, IPSÆ TENEBRÆ QUANTÆ? Matth. 6. &c.

IV.
Qualitatis

§. 20. Superest IV. propositi Dicti pars ultima. ἐν τοῖς
ἔργοις

ἐργεῖς τοῖς πονηροῖς, in operibus malis. De inimicitia mentis dixerat effectus & signum. in operibus malis.

Apostolus, jam exponit, quomodo illa exercita, per quid ostensa & patefacta fuerit? Erupit scilicet interior inimicitia etiam in externa opera mala, quæ mala sunt, coram Deo, &, ipsorummet Colossensium, nunc illuminatorum iudicio, mala sunt. Ratio enim corrupta, quæ mala facit, non agnoscit mala. Beza vertit: *Beza: hostes mente operibus malis intenta.* Et addit: *hanc veram esse sententiam huius loci puto, sive hostes accipiamus passive, quomodo Deo essent exosi, sive active, quod Deum odissent.* Atqui jam expositum est, de inimicitia vel hostilitate hominum adversus Deum loqui Apostolum, qui dixit Rom. VIII, 7. *inimicitia adversus Deum, & V, 10. nos extitisse hostes.* Consequens autem est, tales Deo esse exosos. Et phrasis, in operibus malis, referenda est ad, ab alienati & hostes, mediante τῆς διανοίας mente, ut sensus sit: *hostes mente in operibus malis, h. e. internam illam mentis hostilitatem exercentes & exercentes per mala opera.* Et sane mens operibus malis intenta colligitur, quando mentis hostilitas in opera mala erupisse intelligitur.

§. 21. Hæc mala opera, sunt opposita bonis illis operibus, ad qualia illa? que creati in Christo Iesu dicimur, que preparavit Deus ut in illis ambulemus Eph. II, 10. & dicuntur Eph. V, 11. *opera infructuosa, infrugifera, tenebrarum.* Tenebrarum scilicet, quibus διανοία mens obscurata est Eph. IV, 18. & vocantur ἀπειθεῖς ἀκτῆς, facta hominis veteris Coloss. III, 9. cui opponitur novus, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum v. 10. & declarantur sive exponuntur III, 5. 6. 7. 8. Conf. Ephes. IV, 22. 23. 24. Unde colliguntur fuisse opera ἀπίστεως, ψεύδους, ἀπειθείας, deceptionis, mendacij, incredulitatis, superstitionis, idololatriæ, non τῆς ἀληθείας veritatis, in qua homo conditus fuit, & ad quam, per fidem in Jesum, reducitur. Et idololatriam populi sui damnavit Deus peccatum maximum. Et Reges idololatræ dicuntur malum fecisse in oculis Domini. Opera etiam injustitiæ & impuritatis, in quæ tradit Deus iudex idololatræ, non justitiæ & sanctitatis, in qua conditus homo fuit, ad quam in Christo Iesu reducitur. Ita per opera injustitiæ in se invicem, per opera impuritatis in se ipsos peccant Idololatræ, qui in Deum superstitione & electi-

Hunn.

electitio cultu suo peccant. Ita D. Hunn. Comm. Neque vero hunc mentis illorum hostilem affectum intra cordi latebras ita conclusum fuisse docet, quin erumperet in exitiales fructus, in opera Deo & legi eius inimica &c. quorum appellatione totam illam sentinam completitur nefariorum scelerum & flagitiorum, quæ sub Ethnicismo Idolomaniam gentium magno agmine comitabantur, quorum catalogus quidam extat Rom. I.

Theodoret

§. 22. Theodoretus ita describit: καὶ ὅ ὑμεῖς πορνεία καὶ δουραβεῖα συζῶντες, καὶ τὴ τῆς θεογνωσίας φωτὸς πείμπαν ἐσερημένον, Vos enim, qui sceleratam & impiam vitam agebatis, & cognitionis Dei luce omnino carebatis &c. Sic ergo ab alienati mente à Deo, ut luce cognitionis Dei omnino caruerint: sic hostes mente in operibus ma-

Chrysoft.

lis, ut impiam & sceleratam vitam egerint. Chrysoft. εἴτα ἐχὲ μὲν καὶ τῆς παρορέσεως μόνον ἢ ἀλλοτεῖωσις, Deinde non usque ad liberam electionem (tantum) constitit alienatio. Sed quid? & in operibus malis. Et inimici, inquit, eratis, & agebatis quæ sunt inimicorum. Ita

Theophyl.

& Theophyl. Quæ ratione Apostolus Colossensibus in memoriam revocat, & oculis eorum contuenda subiicit opera, quæ ipsi, tanquam illuminati & conversi, non poterant non damnare, & reprobare cum horrore, ut colligerent inde atrocitatem interioris odij & hostilitatis, quæ mentem occupaverat, & per mentem in tam abominanda opera eruperat. Etiam nos profunditatem corruptionis nostræ sentimus & confitemur, sentientes corruptæ carnis & mentis concupiscentias, quas, spiritu regeniti, damnamus, quas, spiritu armati, impugnamus & vincimus. Etiam pii recordatione vel lapsuum, vel vitæ, ante conversionem actæ, ad sui agnitionem deducti, volubentius se submitunt Deo.

§. 23. Ita habuit Dicti explicatio. I. *Qui?* Colossenses. 2. *Quando?* ante Conversionem. 3. *Quales?* ab alienati à Deo, & hostes Dei, mente. 4. *Quo effectu & hostilitatis signo?* in operib⁹ malis.

PARS POSTERIOR

Dicti Explicati ad Usus Applicatio.

§. 24.

Ratio propo-
siti nostri,

OMnium usuum evolutionem, & tractationem, non permit-
tit

rit pagellarum angustia. *Abalienatio* enim hæc, & inimicitia, & *hostilitas*, latissime patet. Nos autem de ea abalienatione, & hostilitate, dicere constituimus, qua abalienata à Deo *ratio* est, qua hostis Dei est, & adversus Deum pugnat. Hæc enim primaria propositi Dicti nostri doctrina est. Sed & hæc ipsa *rationis* nostræ, à Deo averſæ, & Deo adverſæ, *abalienatio* & *hostilitas* latius se extendit, quàm ut justam tractationem intra disputationis hujus limites coarctare liceat. Tamen aliqua tangemus; & cum Deo meditabimur, quæ ad fidei nostræ salvificæ confirmationem pertinere, & utilia esse possunt.

§. 25. Summa Doctrinæ est: *Ratio*, sibi relicta, verbo Dei non illustrata & gubernata, Spirituique non subjecta, & fidei jugo non coercita, est *Ratio à Deo abalienata, est Deo inimica, hostis DEI*. Ita Apostolus Colossenses ait fuisse, à Deo abalienatos mente, & inimicos hostesque Dei fuisse mente. Itaque *δράνοια* mens, ratio, subjectum, sedes est, atque arx, hujus *abalienationis* & *hostilitatis*. 1. Unde sequitur omnes homines qui rationem suam sequuntur, cultum Dei, vitamque, juxta eam instituunt & gubernant, adeo non servire Deo, vel placere posse Deo in suis inventis, ut abalienati à Deo, Deique vita & populo, tantum inimicitias exercent adversus Deum, hostesque Dei sint, atque adeo Deo exosi eundem ad iram provocent. Uti & in Vet. Test. populus, Idololatriam secutus, suæque rationis inventa ad Deum referens, eundem irritavit, & iram, quam avertere voluit, in se accendit & concitavit.

§ 26 2. Etiam hoc sequitur, Piis & credentibus caute vigilandum, & strenue pugnandum esse, fide & verbo, adversus rationem mentis suæ. Hæc enim *δράνοια* ratio est τῆ νοῦς *mentis*, & hæc mens est τῆς σαρκὸς *carnis* §. 17. caro vero hæc, etiam in renatis reliqua, concupiscit adversus *spiritum*. Inde perpetua pugna. Et periculosissima est hujus rationis concupiscentia, qua adversus fidem, fidei doctrinam, & fiduciam, & vitam, & gloriam, concupiscit. Semper premenda hæc concupiscentia est, fide & spiritu, neque permittendum, ut capti plausibilibus & fallacibus illius argumentis, ipsi indulgeamus, adeoque non advertentes illi regnum concedamus, atque sic fide, fidei doctrina, fiducia,

C

vita,

I.
Thesis, ejus
que Vfus.

I.

2.

3. vita, gloria excidamus. 3. Etiam hoc sequitur, adeo nullam esse rationis erga Deum, Deique verbum & opera, *inclinationem* vel *propensionem*, ut à Deo potius, Deique vita, *abalienata* sit. Inde tanta difficultate fides urgetur. Ratio enim, quæ *carnis* est, & in carne summas tenet, alieno est à fide animo. Ergo & eo gloriosior piorum victoria est, quia & ipsam rationem fide sua, spiritusq; virtute vincunt. Conf. Selnec. in Com. h. l. p. m. 154.

Selnec. in Com.

Formula
Concordiæ.

§. 27. Jam conferamus Formulam Concordiæ, uti illa hanc *abalienationem* & *hostilitatem* explicet, deinde, quam diligenter eam cavendam moneat, ubi fidei doctrina pura & sincera servanda est.

I. Explicat
abalienationem
mentis
à Deo.

§. 28. Prius. *Abalienationem* sic explicat p. 656. in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, natura *CÆCVS* sit, & verbum Dei prædicatum neque INTELLIGAT, neque INTELLIGERE POSSIT &c. prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare &c. possint &c. p. 657. adeo ignorans, cæca, & perversa est ratio illa, ut etiam si ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelion de Filio Dei, & promissiones divinas de æterna salute legant vel audiant, tamen ea propriis viribus perspicere, intelligere, credere, & vera esse, statuere *NE QUEANT*. pag. 658. sacra scriptura hominem naturalem in rebus divinis & spiritualibus, tenebras vocat &c. Scriptura hominis naturalis INTELLECTVI, cordi, & voluntati, OMNEM APTITVDINEM, CAPACITATEM, & FACVLTATEM in rebus spiritualibus aliquid boni & recti (ex semetipso) COGITANDI, INTELLIGENDI, &c. ADIMIT, &c. Et p. 579. hæc est fides, doctrina & confessio nostra: quod videlicet hominis intellectus & RATIO, in rebus spiritualibus PRORSVS sint cæca, nihilque propriis viribus intelligere possint.

§. 29. Hostilitatem vero ita exponit, p. 656. sed illud ut rem *stultam* judicet &c. inde adeo naturale liberum arbitrium, ratione corruptarum virium & nature sue depravate, DVNTAXAT ad ea, quæ Deo displicent & ADVERSANTVR, ACTIVVM & efficax est. p. 657. Quin potius, quanto diligentius in ea re elaborant, ut spirituales res istas sue RATIONIS ACVMINE indagent & comprehendant: tanto minus intelligunt & credunt, & ea omnia pro *STVLTITIA* & *MERIS NVGIS* & *FABVLIS* habent, priusquam à Spiritu Sancto illuminentur & doceantur

antur

antur. Et p. 656. *potius inimicus Dei sit &c.* p. 660. **EX INGENIO & natura sua totus sit malus, DEO REBELLIS & inimicus &c. legi & voluntati Dei rebellabit & inimicum erit &c.** p. 661. pro **INSITA** sua rebellis & contumaci natura, Deo & voluntati ejus **HOSTILITER** repugnare, nisi spiritu Dei illuminetur atque regatur. Conf. p. 662. Et p. 679. *Manet quidem etiam in renatis rebellio quaedam &c. homo autem non renatus, DEO PRORSVS REBELLIS est &c.* Conf. p. 579.

§. 30. *Posterius.* Jam videamus quam bene & pie 2. Pie moneat, ne rationis iudicium sequamur in Articulis fidei. moneat F. C. ut advertamus & caveamus hanc Rationis hostilitatem, ne detrimentum patiatur sincera fides nostra. Aliquas ex summis Fidei nostræ Articulis tangemus. De Peccato Originali. p. 639. *quid & quantum sit hoc ingens hereditarium malum, id nulla humana ratio indagare, aut agnoscere potest &c.* p. 574. 575. *hoc quantum sit malum, verbis revera inexplicabile: neque humanæ rationis acumine indagari, sed duntaxat per verbum Dei revelatum agnoscitur potest.* Conf. Artic. Smalcald. p. 317.

§. 31. De libero Arbitrio. p. 657. *licet ea supercilio humanæ rationis & Philosophiæ displiceant &c.* De Persona Christi. pag. 774. *argutis cogitationibus, ac frivolis argumentationibus atque fictis probationibus metiri, & ad calculum revocare conantur, quarum donorum humana natura in Christo, sine abolitione sua, capax, aut non capax esse queat.* p. 787. hortamur omnes pias mentes **NE SUA RATIONE** humana in tantis mysteriis perscrutandis curiosæ sint &c. De æterna prædestinatione & Electione Dei. p. 811. 812. *cogitationibus nostris indulgere, aliquid de iis statuere, aut scrutari nobis non licet &c.* Ea enim est corruptæ naturæ nostræ curiositas &c. p. 823. *omnes argutas, curiosas, & ad edificationem inutiles quæstiones atque disputationes fugimus atque averfamur.* p. 618. de nostra Electione ad vitam æternam, neque ex **RATIONIS** nostræ iudicio &c. *judicandum est &c.* De Justificatione: Apologia A. C. p. 61. 62. Conf. B. Luther. t. 1. in Genes. c. 3. p. 45. b.

§. 32. Ita *Thesin* habuimus, & ex illa deductum *Vsum*, explicatum ex Libro Symbolico, & B. Lutheri aureo Commentario. Nunc de *Antithesi* aliquid, & de *Abusu* adjiciamus.

§. 33. Redarguenda est Bellarmini disputatio, referentis ad *puranaturalia* concupiscentiam & inimicitiam, quæ natu-

contra Lu-
theranos di-
sputat infe-
liciter, cen-
sente Staple-
tono.

Ejus senten-
tia & simi-
litudines.

Becanus.

Sed ad Ver-
santur Apo-
stolo.

ræ, per peccatum depravatæ, extrema corruptio & miseria est. Ille enim Lib. de Gratia primi hominis c. 5. propositionem suam: *Rectitudo illa, cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post ejus lapsum homines omnes nascuntur, donum supernaturale fuit: contra Lutheranos asserendam & confirmandam sibi sumit, sed adeo infeliciter, ut judice Stapletono t. 2. Operum l. 2. de Pecc. Orig. p. 55. c. 8. in aliud præcipitium lapsus sit. Ita enim l. c. censet: alij Orthodoxi Scriptores Gregorium Ariminensem sequuti & c. parum admodum à Protestantum sententia discrepantes & c. Media itaque sententia tenenda est, & diligenter inter VTRVMQVE hoc PRÆCIPITIVM ambulandum, ut neque in sola denudatione Orig. Iustitiæ, neque etiam in tã omnimoda & enormi depravatione pecc. Orig. effectum ponam⁹. & c.*

§. 34. Ipse Bellarm. mentem suam l. c. sic explicat: *sciendum, divinam providentiam initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo, seu languori naturæ humanæ, qui EX conditione materiæ oriebatur: addidisse homini donum quoddam insigne, justitiæ videlicet originale, qua veluti AVREO quodam FRÆNO pars inferior parti superiori, & pars superior DEO facile subjecta contineretur. Et post: Quare NON MAGIS differt status hominis post lapsum Adæ, à statu ejusdem IN PVVIS NATVRALIBVS, quam differt SPOLIATVS à NVDO: neque DETERIOR est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis IGNORANTIA, & infirmitate laborat, quam esset, & laboraret IN PVVIS NATVRALIBVS condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni NATVRALIS carentia, neq; ex alicujus MALÆ QVALITATIS accessu, sed ex SOLA doni supernaturalis, ob Adæ peccatum amissione profluxit.*

§. 35. Addimus, pro majore explicatione, & propter materiam Disputationis nostræ, Becanum, Manual. l. 1. c. 14. n. 3. *hæ tres potentiæ seu facultates anime NATVRA sua prone sunt ad quosdam motus inordinatos, v. g. INTELLECTVS ad falsa & erronea judicia: voluntas, ad odium, invidiam, desperationem. Appetitus sensitivus ad carnalia & terrena desideria. Hæc ergo pronitas seu inclinatio istarum potentiarum, non est peccatum originale & c. Quid igitur est, inquires, hæc inclinatio? Est quedam imperfectio, quæ homini, si in PVVIS NATVRALIBVS crearetur, esset NATVRALIS & c.*

§. 36. Sicut illi Jesuitæ ab alienationem etiam & hostilitatem

tem

tem mentis, intellectus, rationis, ad puram naturam referunt, quam Apostolus ad corruptionem naturæ refert, & extremam illius depravationem. 2. Arguit accuratissimus Mentzerus hanc sententiam etiam ex ea ratione, quod rebellionem istam ad naturam autorem referat Exeges. A. C. art. 19. de causa peccati p. m. 795. Sed ipse Stapletonus hanc consequentiam faciat t. 2. Oper. l. 2. de Pecc. Orig. c. 7. p. 53. tunc sane etiam ante peccatum, corruptam materiam & ad peccatum illicitam, homo habuisset. Sed hoc si ponatur, DIFFICILLIMUM erit Deum excusare, ne sit AVTHOR PECCATI, qui impetum tam rebellem & iniquum, ideoque malum, & quidem PECCATVM, ipsi naturæ ante ullum hominis demeritum indidit. Sed contra CLAMAT scriptura: quod Deus fecerit hominem rectum, VTI QVE sine tali curvitate &c.

2. Deum, Autorem peccati, faciunt, cense sente Mentzero, & ipso Stapletono.

§. 37. 3. Quod sententiam Bellarmini, & similitudines, quibus eam declarat §. 34. attinet, eundem Stapletonum audimus l. c. cap. 6. p. 51. ubi inter sententias Orthodoxorum, quos vocat ipse, & Scholasticorum, qui ab ipso depravationis puncto non nihil aberrarunt, refert & sententiam eorum, qui inferiorum virium rebellionem, Naturalem tantummodo esse hominis constitutionem docuerunt, & inesse homini à natura sensualitatem, quam etiam ante peccatum homo sensisset, nisi justitiam originalem accepisset, quæ hanc concupiscentiam FRÆNARET: ideoque hominem lapsum NON MAGIS differre ab homine in PVRISSIMO NATURALIBVS ante peccatum concepto, quam differet homo NVDATVS & SPOLIATVS certis ornamentis, ab homine NVDO, & huiusmodi, qui talia ornamenta nunquam acceperat &c.

3. Sententia & similitudinibus Bellarmini contra dicit Stapletonus.

§. 38. Non itaque Orthodoxis satisfacit Bellarminus, vel protestatione sua, vel expositione proluxa, vel concessione speciosa. Non 1. protestatione sua. l. 6. de Amiff. Gr. & Statu Pecc. c. 8. nos opera pretium esse duximus, maxime propter Lutheranos, qui EXTENUARI à nobis effectus peccati originalis existimant, si hæc omnia distinctius atque uberius explicemus. Atqui neque Stapletono satisfacit Bellarmini sententia, quamvis ille Lutheranorum sententiam, ut in excessu aberrantem, rejiciat, tamen Bellarmini sententiam, ut in defectu peccantem, refellit. Multo justius existimant Lutherani extenuari à Bellarm. effectus pecc. originalis.

Non satisfacit Bellarminus 1. protestatione.

§. 39. Non 2. proluxa expositione. l. 3. de Am. Gr. & Statu Pecc. c. 11.

Non 2. expositione proluxa.

tu Pecc. c. II. ubi de *Pœna primi peccati* agit: & l. 6. c. 9. ubi *enumerat morbos, seu vulnera mentis humane, & capp. seqq.* Jam enim scripserat lib. de *Gratia primi hominis* c. 5. §. ex qua *gen. remoto justitiæ originalis dono, languor ille se prodidit; & factum est VVLNVS PECCATI, quod LANGVOR NATVRÆ esse potuisset.* Adhæc in cit. c. 9. multa *vulnera* enumerat mentis, etiam n. 4. 5. de *ignoratione ultimi finis, & mediolorum ad finem, loquitur, sed friget illa expositio.* Nam neque *ab alienationem, qua ab alienata à Deo mens est, neque hostilitatem ejus, solide exponit.* Et *vulnus* vocat, quod *mortis* nomine in scripturis venit.

Non 3. speciosa concessione. §. 40. Non 3. *speciosa concessione.* l. 6. de *Gratia & Lib. Arb.* c. 1. & c. 2. *non posse hominem, sine speciali illustratione Dei, credere mysteria fidei.* Namque in eodem libro cap. 13. ad 2. Cor. III. excipit: *sufficimus aliquid cogitare, posteaquam vires à Deo accepimus, & nisi liberi essemus arbitrij, non recte diceremur non sufficere ex nobis, sicut non recte diceret aliquis, jumentum, aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo.*

Bellarmini disputatio exemplum est rationis aberrantis. §. 41. Itaque tota hæc disputatio Bellarmini, speciose differentis de *vulneribus, menti inflictis, ex pecc. orig. de que illius ignorantia, & insufficientia ad credenda fidei mysteria, exemplum nobis est rationis corruptæ, aberrantis à fide, eandemque impugnantis, dum speculationem suam sequitur, & expresso Dei verbo non regitur.* Mens enim, uti à Deo condita fuit, recta fuit, à naturæ auctore condita, in natura sua, ad Deum conversa, & amica Dei fuit, nunc, aversione sua à Deo, facta aliena à Deo, & hostis Dei. De *languore mentis naturali, de supernaturali dono veritatis, in Justitia originali, eam perficientis, languoremque sanantis vel frænantis, nihil ex verbo Dei protulit, neque proferre potuit.*

Abusus Catechismi Racoviensis, in quo Ratio Domina. §. 42. Hoc de *Antithesi.* Ponamus etiam ob oculos, ali- quod *Abusus* exemplum insigne, ut videamus, *quanta sit ab alienatio & hostilitas* rationis adversus Deum ipsiusque verbum, quàm illa radicitus convellat omnem fidem, ubi dominatur & regnat. Exemplum esto *Catechismus Racoviensis, in quo Photiniana infidelitas exponitur.* Sedet in illo templo *RATIO DOMINA, omneque Dei verbum sibi subjicit, atque ad suum captum temperat.*

perat

perat, & sibi parere cogit: Sic enim c. 10. de Lib. arb. Q. 2. de peccato Originis, & de *Negat Pecc.*
Libero Arbitrio definire audeat: Peccatum Originis *NULLVM PRORSVS est: quare nec Orig.*
liberum arbitrium vitare potuit. Hoc aggere rupto, non mirum est, inundare di-
 luvium, quod omnem fidem vastet.

§. 43. Operoso labore negat SS. Trinit. mysterium. Quo Principio? Ratio. *de SS. Trinit.*
nis, abalienata à Deo, & verbum Dei impugnantis hostiliter. Ita de Essent. Dei Q.
 22. *probo, quoniam essentia divina tantum unica est numero, IDEO NVLLATENVS plu-*
res in E. Ap. possunt esse persona &c. Q. 39. *rationi sana adversa sunt &c.* Ita summi & tre-
 mendi mysterij horribilem abnegationem in principium rationis resolvit, quam
 sanam vocat, quam præcognoscere debuisset *abalienatam à Deo, & hostem Dei,*
 quam *mortuam esse, confiteri debuisset.*

§. 44. Pergit impugnare aeternam Deitatem JESU CHRISTI, Filij Dei. De *de Deitate*
 Persona Christi Q. 4. & 5. *habere naturam divinam &c. rationi sanæ repugnat &c. quod Christi*
dua substantia proprietatibus adversa, coire in unam personam NEQVEANT &c. Quod
dua natura personam singula constituentes, in unam personam ITIDEM convenire NEQVE-
ANT. Nam loco unius duas personas esse *OPORTET &c.* Sic & abnegationem tam fa-
 lutaris mysterij in principium, insanientis adversus Deum Rationis, resolvit, cui
 cedere jubet illustria oracula, quæ, varia caligine affusa, obscurare nititur. Ita
 & contra generationem aeternam Q. 18. *sciendum est, eam ex essentia Patris generationem*
esse IMPOSSIBILEM &c. Q. 97. *cum in Christo negent personam hominis, QVIS NONVI-*
DET eos una eademque opera Christum verum hominem negare &c. *De aeterna ge-*
neratione Filij
Dei.

§. 45. Paria Contra Baptismum, Spiritum Sanctum, Mortem Christi, obiicit.
 De Baptismo Aquæ Q. 4. *aqua regenerari posse tantum à veritate abest, ut etiam videa-*
tur quidpiam hoc idololatriæ simile &c. De Spiritu Sancto Q. 12. *Si Spiritus S. esset per-*
sona, essentiam quoque divinam eum habere oporteret; nam ea attribuuntur illi, quæ pro-
pria sunt essentia divinæ; at superius docuimus substantiam divinam unam esse numero, nec
tribus Personis esse POSSE communem. Quamobrem Spiritum S. non esse personam Dei-
 tatis *PLANVM est.* De morte Christi Q. 12. *Nonne est etiam aliqua alia mortis Chri-*
sti causa? Resp. Nulla PRORSVS. *Etsi nunc vulgo Christiani sentiunt, Christum morte*
sua nobis salutem meruisse, & pro peccatis nostris plenarie SATISFACTISSE, quæ sententia
fallax est, erronea, & ADMODVM PERNICIOSA. Q. 13. *sana rationi repugnet.* Q. 15.
 ait, *etiam scriptura repugnare, quæ testatur Deum peccata hominibus gratuito remit-*
tere. At abutitur Scripturâ, se, adversus fidem, Deique verbum, efferens Ratio:
 At remissioni gratuita nihil adversatur magis, quam satisfactio &c. Q. 16. *rationi repu-*
gnet &c. *De Satisfactio-*
ne Christi.

§. 46. Sed satis. Stupet enim pia mens, hæc cum meditatur & expendit. Et-
 jam satis patet quam *abalienata à Deo ratio sit, quam atrox Dei hostis sit.* Miramur
 etiam tantam potestatem esse Satanae, hominum mentes, rationis argumentis, ita
 excæcantis & indurantis. Et quia finis imponendus est, oramus DEUM, Patrem *Conclusio.*
 Domini nostri JESU CHRISTI supplices, ut omnem mentem nostram sibi, suæ-
 que voluntati, & verbo, prorsus subjiciat, interim Spiritu suo Sancto nos regat &
 firmet, ut constante fide *rationem mactemus, in hostiam Deo gratissimam, ut ipse*
 solus in nobis vivat & regnet. Amen.

Eximio Dn. RESPONDENTI.

Nos, qui mente DEi fuimusque & viximus hostes,
 Mors Christi potuit conciliare DEO.
 Nos etiam Christus Sanctos, nos Christus amicos
 Ipse sibi sistit, judicioque Patris.
 Hoc Evangelium est, quo solo mundus ab ira
 Servatur, venit & gratia larga DEI.

Hujus,

Hujus, Strigeli, præconem faxit Iesus
Salyator verbi Te, precor, esse pium.

gratul. f.
Sebastianus Schmidt, S. Th. D. Prof. Collegij
Theolog. p. t. Decanus, & Conv. Eccles. Præses.

Eximio Dn. RESPONDENTI
Auditori quondam suo perindustrio.

Corrupta mens est gentium; corrupta pars
Est hominis optima, nescia DEO subiici.
Didicisse rem tantam salus est. TIBI proim
Amice, specimine de Tuo bene gratulor.

Johannes Faustius, D. PP. Collegij
Philosophici p. t. Decanus.

Eximio Dn. Respondenti,
Amico dilecto.

Non capit hæc Ratio, quæ præstantissima
pars est
Sumaq; vis animæ, fidei mysteria nostræ.
Nec satis hoc illi. Quia damnat, stultaque
censet,
Quæ non prompta capit. Quia non capit, im-
pia damnat.
Ergo inimica, hosti sq; DEI, maestanda piorum
Est constante fide, Verbi virtute domanda,
Subjicienda DEO, sic fiet victima grata.
Hactenus è fidei verbo, mysteria certæ
Et puræ fidei didicisti. Industria constans
Atque attenta fuit, successus lætus, & omni
Augmento ornatus. Pergat benedictio dives
Provehere hoc studium, multoque favore fo-
vere.

f.
Disputationis Præses.

Præstantiss. Dn. RESPONDENTI,
Amico suo.

Non satis expendit ratio divina, nec aqua
Lance secreta Dei sensa librare potest.
Scripturis igitur sacris expendere præstat.
Si quid divini nosse vel esse velit.

accinuit
Baltasar Bebelius, D.

Δεῦρ', ἱεροῖπν ἐνὶ ψυχῆς Φίλε λόγοισι
Σταδμὸν αἰεὶ ἐχθρὸν τοῖο Θεοῖο
ἔμεν.
Εὐ! ὅσπον τ' ἰσπέρ ἔσπεδάζεις, γράμμα
κελεύει.
Μείνον' ἐκείθεν τὸ κάξια ἀδλα μᾶ-
νει.

Per - Eximio atque Præstantissimo Dn.
Respondenti, Fautori suo & A-
mico certo votivo hæc calamo po-
sui

Johann-Sebaldus Georgi,
Pinopoli-Francus SS Th. Stud.

Strigelius Divina colens, deliria Mentis
Humana fugitat. Non malè Strigelius.
Perficit, ac solo Veri stimulatùs amore
Exferit in Cathedrâ non sine laude caput.
Maeste Animo! in tali, quâ TE jam cerno Pa-
læstrâ,

Sit Verum semper Duxq; Comesq; precor.
Hæc

Pereximio Dn. Respondenti Amicorum
non ultimo opponere voluit.

Nathanaël Pomeranus,
Dantiscanus Prussus
SS. Theol. Stud.



Col. Dis. A 165. ausc. 58